

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Alberti v. Haller Domini In Goumoens Le Jux Et Eclagnens.  
Præsidis Societatis Reg. Goettingensis ... Primæ Lineæ  
Physiologiæ In Usum Praelectionum Academicarum**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannæ, MDCCCLXXI.**

**VD18 11701269**

Cap. XXII. Pancreas.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17141**

confensui liquidorum humanorum, exclusa  
a viæ defectu. An inutilis lien, idque de-  
monstratur ex non maximis malis, quæ  
patiuntur animalia, hoc viscere privata?  
Robustum animal modicam jacturam mi-  
nus percipit; & tamen exempla sunt, tu-  
midum inde & vitiosum hepar, bilem pau-  
ciorem, magis fuscum, flatusque molestos  
successisse, quæ referas ad mutatam bilis  
naturam, obstructionem hepatis, vires di-  
gestionis, debilitatas; dum per repetita ex-  
perimenta confirmantur.

## C A P. XXII.

## P A N C R E A S.

DCLXXXV. *Pancreaticus succus*, aquo-  
sus, insipidus, tenuis, neque acidus, ne-  
que lixiviosus, eodem loco excernitur, quo  
bilis advenit.

DCLXXXVI. *Pancreas*, falivalium ma-  
xima, prælonga glandula est, supra meso-  
coli transversi laminam inferiorem, quæ  
trans pancreas pone ejus laminam superio-  
rem, pone ventriculum, ante lienem, sub  
hepate & pone idem ad inferiorem lami-  
nam accedit, ante capsulam sinistram &  
aortam posita, planiuscule triangula, linea  
superiori levi, a peritonæo vestita, cui po-  
steriori, & inferiori, vacui ventriculi po-

sterius planum insidet. Incipit ab ipso liene, dextrorum ferè transversum, & antrorum, emergit, trans vertebrae, ad dextrum latus vertebrarum latefcit, receptum inter laminam superiorem mesocoli transversi & inferiorem (DCLIX) & rotundo capite duodeno toti ita innascitur, ut ipsi sit pro mesenterio. Fabrica, quæ falivalium glandularum, ex acinis rotundis, duriusculis, multa cellulositate connexis. *Vasa*, multa potius quam magna, a splenicis pleraque vasibus sunt, dexteriora vero & a prima duodenali, & ab inferiori alia, quæ duodeno cum pancreati communis est, quarum utraque ab hepatica nascitur, & quarum prior & cum altera inosculatur, & utraque cum mesenterica, quæ & ipsa ramos non exiguos huic glandulæ dat, minutos vero capsularis & phrenica. Nervi non magni sunt, unde vix sensibile est, a plexu posteriori ventriculi, ab hepatico & a splenico nati &c.

DCLXXXVII. *Ductus* per hanc glandulam totam medius quasi decurrit; albus, tenerque, infinitis undique radiculis ortus, quare sensim auctus, ante venam portarum & arteriam mesentericam emergens, recepto ramo majore a latiori parte pancreaticis, sequente progressum duodeni advenit ad eandem sedem duodeni intestini, quam ductus choledochus adit, descendit, mutato ductu, & in sinum inter tunicas

intestini productus, intus levem, recepto choledocco continuatus, aperitur in ruga aliqua ejus duodeni, in ima parte descendente. Non valde rarum est aut ipsum a choledocco ductu separato osculo oriri, aut duobus omnino, quorum alterum, inferius, distinctum & minus est: semper tamen & in homine, & in plerisque animalibus in vicinia bilarii ductus aperitur. Valvula in eo ostio nulla est.

DCLXXXVIII. Copia secreti liquoris incerta, non tamen exigua est, si cum salivæ pondere conferas, triplo majus, & tepidiore loco positum pancreas. Expellitur vi circulum euntis sanguinis, incumbentium in pleno abdomen viscerum, hepatis, ventriculi, lienis, arteriæ mesentericæ, aortæ, splenicæ. Utilitatem magnam perpetuitas suadet: qua pancreas in plerisque animalibus reperitur, neque refutant pauca experimenta, in robusto animale facta, quod particulæ pancreatis extirpatæ vitale superfluit, totum enim pancreas auferri nequit, nisi cum duodeno. Nam etiam resectæ parti pulmonis supervivitur, non ideo inutilis. Effervescentia cum bile ex effectu vinculi, & intriti cum intestinali humore aeris nata est.

DCLXXXVIII. Videtur bilem potissimum cysticam viscidam diluere, mitigare acrem, miscere cum cibo. Hinc remoto a cystico ductu loco adfunditur, quoties nulla cystis



HEPAR. VESICULA. BILIS. 399  
est. Pariter ut reliquus humor intestinalis  
ciborum massam diducit, resolvit, & om-  
nia similia salivæ facit.

---

CAP. XXIII.

HEPAR. VESICULA. BILIS.

DCLXXXIX. *Hepar* omnium viscerum  
vastissimum, multam abdominis partem su-  
pra mesocolon occupat, majorem tamen in  
fetu. Supra se, & ad dextrâ, & pone se, & ante,  
septum transversum impositum habet, a quo  
peritonæum accipit, ligamenti nomine, tri-  
bus in primis locis. Nam in hepatis gibbam  
partem, ab ipso cavæ venæ transitu in sul-  
cum usque transversum hepatis, descendit  
duplex peritonæum, antrorum latefcens,  
*suspensorii ligamenti* nomine, quod lobum  
majorem dextrum, a minori sinistro sepa-  
rat, & fissum, in membranam abit hepa-  
tis DCXXIII. albam, simplicem, tenuem,  
similem membranæ primæ ventriculi, sub-  
jectam habentem cellulosam, qua cum carne  
hepatis unitur. Hujus imo margini addit se  
vena umbilicalis, quæ in adulto corpore  
fere evanida, fibrosum aliquid & multum  
adipem relinquit. In extremo sinistro lobo,  
& in gibbam partem, & non raro in mar-  
ginem, a septo transverso ad hepar venit  
membrana, in junioribus & alias frequen-

